

Psalmus 33

- 1 Benedicam Dominum in omni tempore:
semper laus ejus in ore meo.
- 2 In Domino laudabitur anima mea:
audiant mansueti, et laetentur.
- 3 Magnificate Dominum mecum:
et exalteamus nomen ejus in idipsum.
- 4 Exquisivi Dominum, et exaudivit me:
et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
- 5 Accedite ad eum, et illuminamini:
et facies vestrae non confundentur.
- 6 Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum:
et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.
- 7 Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum:
et eripiet eos.
- 8 Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus:
beatus vir qui sperat in eo.
- 9 Timete Dominum omnes sancti ejus:
quoniam non est inopia timentibus eum.
- 10 Divites eguerunt et esurierunt:
inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
- 11 Venite, filii, audite me:
timorem Domini docebo vos.
- 12 Quis est homo qui vult vitam:
diligit dies videre bonos ?
- 13 Prohibe linguam tuam a malo:
et labia tua ne loquantur dolum.
- 14 Diverte a malo, et fac bonum:
inquire pacem, et persequere eam.
- 15 Oculi Domini super justos:
et aures ejus in preces eorum.

- 16 Vultus autem Domini super facientes mala:
ut perdat de terra memoriam eorum.
- 17 Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos:
et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
- 18 Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde:
et humiles spiritu salvabit.
- 19 Multae tribulationes justorum:
et de omnibus his liberabit eos Dominus.
- 20 Custodit Dominus omnia ossa eorum:
unum ex his non conteretur.
- 21 Mors peccatorum pessima:
et qui oderunt justum, delinquent.
- 22 Redimet Dominus animas servorum suorum:
et non delinquent omnes qui sperant in eo.